

2.10.1958

Escrivá de Balaguer, in una lettera datata 2.10.1958 ma resa nota solo nel 1983 (cioè con la pubblicazione degli statuti della Prelatura della Santa Croce e Opus Dei), manifesta il suo distacco dalla figura degli istituti secolari, tra i quali l'Opus Dei non può più essere annoverato.

**NOSTRI DESIDERATISSIMI CONDITORIS LITTERAE,
NON IGNORATIS**

1. *NON IGNORATIS, filiae ac filii dilectissimi, finem et media Operis Dei esse plene et exclusive supernaturalia, spiritualia et apostolica: volumus enim christianorum vocaciones promovere, qui eo ad sanctitatem in mundo intra cuiusque statum quaerendam sese adstringant, ut sua vita in apostolatum tota convertatur.*

Noster apostolatus, quo in Ecclesiae missione salvifica cooperamur, indolem ac formam saecularem induit: haud quidem quia fines saeculares seu temporales prosequamur, sed contra, quia apostolatus Operis Dei, cuius finis est supernaturalis, perfici debet cum eis qui in mundo vivunt, et ab eis qui in ipsis mundi condicionibus, in saecularibus nempe adjunctis, libere vivunt et operantur, quin a suis comitibus ullo modo distingui velint.

2. *Religiosi non sumus; neque religiosi vel missionarii vocari possumus. Qui ad Opus Dei pertinent, proprium omnes exercent munus medici, vel advo-*

cati, vel opificis, vel agricolae, vel aliud quodlibet, eodem modo et ratione ac ceteri omnes cives: sed animas Ecclesiae Sanctae lucrari cupientes per talis munieris professionalis adimpletionem, et quidem frequenter in locis vel rerum adiunctis plus semel sacerdotibus religiosisque haud facile perviis.

3. Ne cives quidem sumus *inferioris condicionis*: *vos enim omnimoda libertate gaudetis, et de vestris actibus ipsi respondetis*, non solum quoad munieris professionalis exercitium, sed etiam in actione sociali, culturali vel politica, quae omnia vobis communia sunt cum ceteris vestrarum nationum civibus, unde eadem illis et vobis sint iura et officia.

In rebus enim temporalibus, numquam Directores interni mentes vestras inclinare possunt in ullam ex liberis hominum sententiis vel opinionibus: sed unusquisque vestrum semper pro sua conscientia plena libertate agit.

Si quando autem, pro animarum salute, opus fuerit hisce in rebus normam aliquam statui atque determinari, id profecto — tamquam pars ministerii pastoralis eorum proprii — ad unos pertinebit locorum Ordinarios; quod si hoc fecerint, tunc officium vestrum erit normis ab iisdem impertitis ex animo obsecundare, in spiritu perfectae oboedientiae coram Deo et hominibus.

4. At, dum in mundo vivimus, participes quidem facti omnium curarum atque operum civilis consortii, *vocatio nostra apostolica est necessarie simul vocatio contemplativa*: vivimus scilicet in continua, simplici ac filiali unione cum Deo Patre Nostró. Nisi enim animus nobis esset vere contemplativus, haud in *Opere Dei* perseverare possemus.

5. Haec vero pià intimitas nostrae unionis cum Deo nobis servanda est in omni naturalitate et morum simplicitate. Numquam sane nostram condicionem celare satagimus, neque mysterium vel secretum ullo modo adhibemus, quippe que nobis numquam necessaria sint. Quaecumque tamen ad intimitatem nostrae affectuosaे conversationis cum Deo pertinent, haec ab otiosa aliorum curiositate servare debemus, eadem quidem ratione eademque cura, qua omnes vitant ne intimitas rerum familiarium sine causa divulgetur.

6. Hoc tantum cupimus, hoc desideramus: *Ecclesiae ministrare, et quidem sicut Ipsa vult ministrari, intra peculiarem hanc vocationem quam a Deo receperimus*. Quapropter, *statum perfectionis pro nobis non desideramus*. Eum quidem diligimus, prout congruit cum vocatione religiosorum aliorumque qui ad ea quae nunc vocantur Instituta Saecularia pertinent.

Propter nostram tamen specificam vocationem, qua ad *Opus Dei* vocati sumus, hoc tantum Deus ab unoquoque nostrum postulat, quod *sanctitatem quaerat in proprio cuiusque statu* — nempe qua coelebs, vel matrimonio iunctus, vel viduus, vel sacerdos —, et quidem in exercitio vestri publici munieris seu vestri laboris professionalis, quem omnes vestri concives optime noscunt.

7. Nolumus ergo ius proprium religiosorum nobis sine discriminè applicari, neque religiosis nos ullo modo aequiparari ipsisive plus minusve identificari.

Secus enim minore vi eos adiuvare et defendere possemus, dum maiores simul nobis obvenirent difficultates in nostro efficaci servitio pro Ecclesia Sancta Dei, quod silenter fieri debet; praesertim vero, efficeretur impossibile ut spiritum servaremus, quem Deus pro nobis vult.

8. Notae propriae et peculiares huius spiritus huiusque vitae apostolicae *Operis Dei* — quae notae, tempore iam non brevi transacto, scilicet ab anno

1928, aptissime experientia confirmatae sunt —, una simul cum *Iure peculiari* pro nobis condito [Decreta *Primum Institutum*, 24 febr. 1947 et *Primum inter*, 16 iun. 1950 (1), necnon *Brevia Ap. Cum Societatis*, 28 iun. 1946 et *Mirifice de Ecclesia*, 20 iul. 1947], haec omnia, inquam, Operi nostro conferunt personalitatem profecto singularem — sine ulla superbia id nobis agnoscendum et declarandum est —, qua Institutio nostra perspicua ratione distinguitur ab hodiernis Institutis Saecularibus: haec enim, sive secreto sive manifesto sint constituta, talibus notis cumulantur, ut cum Institutis Religiosis vel communibus filiis Associationibus magnam similitudinem prae se ferant, immo ab eis saepe difficilius distinguantur quoad spiritum et modum vivendi.

9. *De facto neque Institutum Saeculare sumus neque amplius hoc nomine appellari possumus:* quod enim haec denominatio hodie significat, longe differt a primigeno sensu qui eidem tribui solebat, quando scilicet haec verba primo adhibita sunt a Sancta Sede nobis concedente anno 1947 *Decretum laudis*.

Sed neque ut simplex *motus apostolicus* «*Opus Dei*» considerari valet: huic enim considerationi suaे notae peculiares obstant, scilicet, vinculum mutuum atque supernaturale quo *Operi Dei* quisque nostrorum unitur; plena nostra ac completa Deo dedicatio; doctrinalis nostra institutio, continua sane et firma, quam numquam perfectam consideramus, sed per totam vitam magis magisque complendam curamus; nostra interna hierarchia, quae universalis constituta est, quo efficacior fiat labor noster in Ecclesiae Sanctae servitium; sollicita ac sollers cura, quam de sociis aegrotantibus vel senioribus agere debemus; et aliae quidem multae huius generis notae.

10. Eo, igitur, *talem rerum condicionem reparandam desideramus*, ut abhinc multos annos plura Sanctorum Missarum milia ad hanc intentionem celebrae sint et indesinenter celebrentur; et in eundem finem nos omnes orationi instamus, Deo in omni caritate etiam offerentes nostri munera professionalis adimpletionem, immo et universum nostrum laborem apostolicum.

Ita autem agentes, spem nostram in Deo filiali fiducia reponimus, ut Ille pro sua pietate huic nostrae spirituali sollicitudini finem aliquando concedere dignetur.

11. Non minore filiali fiducia, et postulans intercessionem Beatae Mariae Virginis Matris nostrae — *Cor Mariae Dulcissimum, iter para tutum!* —, de hac rerum condicione nostrorumque sollicitudine tempore opportuno Sanctam Sedem certiorem faciam, cui etiam simul manifestabo quanto animi ardore desideremus ut alicui solutioni apte consulatur, quae nec privilegium pro nobis constituat — quod profecto nostro animo nostraeque indoli omnino repugnat —, neque ullam mutationem in praesentes normas quae nostras regunt cum locorum Ordinariis relationes quoquo modo inducat.

12. *Nihil aliud quam amor noster* in Dominum Iesum Christum, in Sanctam Matrem Ecclesiam, et in Romanum Pontificem — amor quidem in operibus

(1) Concedere necesse fuit ut hoc in Decretum, sicut et in Codicem Iuris peculiari, nostras continentem ordinationes, normae includerentur ad statum perfectionis pertinentes, quae cum spiritu non concordant, quem pro nobis Deus voluit, et in quarum locum, quando id possibile sit, aliae normae substituendae erunt, ad nostram saecularitatem magis respondentes.

servitii semper declaratus et patefactus —, nihil aliud, inquam, praeter hunc amorem, nos urget ad omni nisu procurandum ut noster spiritus in tuto colloctetur atque efficacitas nostrorum apostolatus operum roboretur.

Non alio amore compulsi, ardenter etiam desideramus ut, congrua iuris declaratione, ab Ecclesia peculiaris nostra vocatio sanciatur, quae plene est saecularis, nempe pro sacerdotibus saecularibus atque pro laicis, seu communibus fidelibus, constituta.

Eadem mente eodemque desiderio, ne ulla falsa de nostra vocatione opinio nasci et diffundi posset, numquam voluimus — Sancta Sede de hac re certiore facta — in Religiosorum foederationes ingredi, vel ad congressus sive adunationes convenire cum iis qui in *statu perfectionis* dicuntur.

13. Interim vero, filiae et filii dilectissimi, clarum est ac perspicuum *Ius nostrum peculiare*, pontificis documentis iterum iterumque confirmatum: id igitur custodite et fideliter vita vestra exprimit. Sensu quoque supernaturali, et civilia officia diligenter adimplete, et iura civilia libere exercete.

14. Instantissime vos moneo ut omnem timorem abiiciatis ne Sancta Mater Ecclesia nos invitatos religiosos faciat vel ullo modo religiosis aequiparet, cum alia sit vocatio qua Deus nos donavit.

Omnem e contra *fiduciam habete et firmissimam spem*; Dominum iugiter exorare pergit, Ei quotidie offerentes vestrum laborem vestrumque sacrificium, ut congruae solutioni tandem consuli queat.

Libentissime in Domino vos benedicit Pater vester

Iosephmaria

Romae, die 2 octobris anno 1958 (2).

Dal *Codex iuris particularis seu Statuta Praelatura Sanctae Crucis et Operis Dei*, Roma 1983, pp. XXIII-XXX. Testo gentilmente fornito da L. de Echeverría, Salamanca (Spagna).

(2) Die 14 februarii anni 1964, Conditor noster, qui iam officialiter gressus facere cooperat ut statutum nobis tribueretur ab eo diversum quod Institutorum Saecularium est proprium, quique ab anno 1947 multa et valde explicita de hac ipsa re documenta scripserat, harum Litterarum exemplar una cum Codice Iuris nostri peculiaris tunc temporis vigentis misit ad Summum Pontificem Paulum VI, ad eius Personam destinata: gaudio nobis est hoc documentum includere in praesentem editionem nostrorum Statutorum, quando iam, ex Dei bonitate, vestis iuridica obtenta est, a Patre et Fundatore nostro tantopere desiderata.